



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 71. Pacificationis capita inter Ferdinandum Styriæ Archiducem & Venetos Viennæ proposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. pem metu rerum novarum, quibus se fau-  
 A. C. 1612. torem ostenderat, exhaustum obiisse: ad-  
 ————— eo parum est stabilis fortuna Principum,  
 qui & fato æquantur subditis. Eodem  
 anno die decima octava Februarii ho-  
 rum funera præcesserat infausta Vin-  
 centii I. Mantuani Ducis mors, quam  
 brevi obitus Mantuanæ Ducissæ, quæ  
 Vincentii uxor erat, sequebatur. Præ-  
 terea idem naturæ debitum solvit Leo-  
 nardus Donatus Venetorum Dux, qui  
 sub æstivis caloribus inopine meatu  
 spiritus intercluso die decima sexta Ju-  
 lii obiit, cui die vigesimo quinto ejus-  
 dem Mensis Antonius Memmius septua-  
 genario major subrogatus est.

## §. LXXI.

*Pacificationis capita inter Ferdinandum Styriæ Archiducem & Venetos Viennæ proposita.*

Jam dudum inter Ferdinandum Sty-  
 riæ Archiducem & Rempublicam  
 Venetam acris fervebat contentio, orta  
 ex crebris deprædationibus Uscocho-  
 rum: Hi olim ad declinandam Turca-  
 rum sævitiam ex Dalmatia ad Zengen-  
 sem urbem, quam eis Ferdinandus  
 Cæsar assignabat, confugiebant, progres-  
 su autem temporis Piratarum more ra-  
 pinis & deprædationibus mare infestum  
 red-

reddebant, ac Venetis ingens damnum inferebant. Non autem omnium erat eadem omnino perversa rapiendi voluntas; horum enim quidam, qui *Casalini* seu *Domestici* vel cives appellabantur, quietam in urbe vitam ducebant: alii vero *Stipendiarii* vocati fuerunt, eo quod Cæsaris ac Ferdinandi stipendia merentes, suis parebant Tribunis: Denique alii, quos *Adventitios* nominabant, ex *Ottomanicis* terris profugi, sese ceteris conjungebant, ac non nisi rapto vivere assueti erant: cum ergo Veneti promiscue arma in *Zengenses* verterent, *Ferdinandus* innoxios defensusurus, bellum contra *Venetos* parabat, quod tamen nondum in apertas erumpebat flammæ, cum tempestive hoc anno *Viennæ* transactionis capita utrinque erigerentur, hujus tenoris. I. *Ferdinandus Archidux* recipiat, quod mare a piratis securum reddere, & non permittere velit, ut illud a *Sengensibus*, & aliis infestum reddatur, injuriaque vicinis populis inferatur. II. *Transgressores Senga* proscribantur, & exterminentur. III. *Præfectus* aliquis *eximie auctoritatis ad Sengam* constituatur. IV. Quod a præsidio *Germanico Sengam* introducendo *Archidux* hætenus abstinuit, ideo factum putetur, ne necessitatem ipsi hoc faciendi impositam fuisse, quis existimaret, *Cæsar* tamen in posterum ut præsidium istud

Sæc. XVII. Germanum ibi constituatur, faciat. V.  
 A. C. 1612. Omnia ista, Venetis captivos dimittentibus  
 & obsidionem solventibus, in effectum pro-  
 ducantur. VI. Navigationes & commer-  
 cia in pristinum statum restituantur. VII.  
 Amicitia & familiaritas sincere colatur.  
 VIII. Quod ad navigationis libertatem &  
 immunitatem attinet, ejus tractatio ad tem-  
 pus aliud differatur.

## §. LXXII.

S. Alberti Leodiensis Episcopi  
translatio.

Bald. chron.  
 Moral.  
 pag. 1010.

Jam ab anno Domini millesimo cente-  
 simo nonagesimo secundo, quo San-  
 ctus Albertus Leodiensis Episcopus pro  
 defensione libertatis Ecclesiasticæ glo-  
 riosum subiit triumphum, hujus Mar-  
 tyris Corpus Rhemis sine singulari ho-  
 nore sepultum quiescebat, illud vero  
 Melchior Briocensis Episcopus hoc anno  
 solemnī pompa elevatum Bruxellas  
 transtulit, Albertus vero Austriæ Ar-  
 chidux & Belgii Princeps sacrum hoc  
 pignus pro sua in Cælites pietate in Re-  
 gio Carmelitarum Virginum cænobio,  
 quod non ita pridem a fundamentis ex-  
 struendum, dotandumque curabat, die  
 decima tertia Decembris honorifice col-  
 locari jussit. Anno autem proxime se-  
 quenti Paulus V. Pontifex Maximus be-  
 nigne